

CANCELL:
MARTIS B:
. 1.7 17:.



oo Da



29
JO. CHRISTIANI LEHMANNI,
PHIL. ET MED. DOCTORIS, PHYSICÆ P.P.
ORDINARIII ET MEDICINÆ EXTRAORD.

O R A T I O
DE
SORORIO PHILOSOPHIÆ
NATURALIS ET MEDICÆ
ARTIS NEXU,
P R O A U S P I C I I S
PROFESSIONIS PHYSICÆ
LIPSIAE IN PUBLICA PANEGYRI
DIE XXVI. SEPTEMBR. ANNI M DCC X.
H A B I T A.

IN CALCE ADJECTUM EJUSDEM
PROGRAMMA INVITATORIUM
DE DUABUS NATURALIS PHILOSOPHIÆ
A L I S
RATIOCINIO ET EXPERIENTIA

L I P S I Æ,
APUD HÆREDES LANCKISIANOS,
M DCC XI.

IO. CHRISTIANI LEHMANNI
PHIL. ET MED. DOCTORIS, PHYSICAE
ORDINARI ET MEDICINAE EXTRAORD.

ORATIO

DE

SORORIO PHIL. GOSPHINE

NATURALIS ET MEDICAE

MAGNI ARTIS NEXU

PROFESSIONIS PHYSICAE

LIPSIAE IN PUBLICA UNIVERSITATE

DIE ANNA SEPTIMA MDCCLXXII

PRO REC. MR. P. HON. R. K. M. T. T.

IN CAUCE ADIUCTUM D. H. D. M.

PROGRAMMA INVIATORUM

DE QUAEUS NATURALIS ET MEDICAE

T. A. D. S.

RATIOCINIO ET EXPERIENTIA

L. I. T. T. I. A.

DOMINO S. P. D. H. D. M. T. T. T.

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCEL-
LENTISSIMO DOMINO,

DOMINO
JACOBO HENRICO,
S. R. I. COMITI
DE FLEMMING,

MAGNI DUCATUS LITHUANIÆ
SUPREMO STABULI COMITI, REI TOR-
MENTARIÆ REGNI POLONICI GENERALI,
DUCATUS POMERANIÆ ET PRINCIPA-
TUS CAMINENSIS MARESCHALLO HEREDITARIO,
ORDINIS S. JOHANNIS EQUITI,
SAC. REG. MAJ. POLONIARUM ET
ELECTORIS SAXONIÆ MINISTRO STATUS, EX-
ERCITUUM DUCTORI PRIMO, METROPOLEOS
SAXONIÆ NEC NON FORTALITIORUM
KÖNIGSTEINI ET SONNENSTEINI
PRÆFACTO,

DYNASTÆ SCHLAWENTIZENSI, MARTEN-
TIZENSI ET BOECENSI, &c. &c.

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO.



ILLVSTRISSIME ATQVE EX-
CELLENTISSIME COMES,

DOMINE GRATIOSISSIME.



Erecundarer in conspe-
ctum *TUUM* præfulgi-
dum producere plagulas,
quas

quas hic vides, exiguas, nisi incomparabilis Excelsi *TUI* animi Generositas, qua etiam ad demissiora benignissime respicis, me securum esse juberet, partim autem ardor aliquis in me, intimiorque cordis impetus extimularet, ut hanc proximam occasionem, qualiscunque sit, testandi devinctissimam devotionem meam potius amplecterer, quam futuram aliquam prægnantior, forte tamen nimis feram præstolarer. Certe Solem imitaris, *EXCELLENTISSIME DOMINE*, qui non tantum coeli astra & quæ partes mundi majores sunt collustrat, sed in flosculos etiam minores & in lapillos terræ, radios suos dispergit. Experientissimos belli Duces in eo sequeris, ut non semper fortitudinem militis aut præfecti militum

ex justo prælio æstiment, verum ex velitationibus turmatim factis plus vice simplici accurate perspiciant. Offero itaque humillima mente *TIBI, DOMINE GRATIOSISSIME* illam Orationem, quam præmissam auspiciis Professionis Philosophiæ Naturalis in publica Panegyri Academiae recitavi. Non despiciat *ILLUSTRISSIMA EXCELLENTIA TUA* munusculum, cui illud officium Academicum occasionem præbuit, quod *SERENISSIMUS AC POTENTISSIMUS POLONIARUM REX ET ELECTOR SAXONIÆ* non sine *TUO* consilio meæ tenuitati clementissime demandavit. Hoc si *TUO* perspicacissimo iudicio sese probaverit, nullam invidiam me-

metuet. Nam in militia utraque Mar-
tis & Minervæ ad illud pertigisti fasti-
gium, ut summi Monarchæ *TE* habe-
ant in pretio, ut aularum Proceres *TIBI*
faveant, ut *TE* ductore milites vincant,
TE Protectore Musæ in suis castris tro-
phæa erigant. Olim Syllæ, Marii,
Cæsares, Pompeji totque alii gladio &
calamo erant prompti. Rediere prope-
modum illa tempora, quando summos
belli Duces non exercitus solum circum-
equitare in hostemque animare, sed lega-
tiones quoque gravioris momenti obire
ac status arduissima negotia eventu feli-
cissimo conficere animadvertitur. Cer-
te plenius redibunt, si divina providen-
tia *TUI* similes Sagatos simul Togatosq;
Heroes regnis ac rebus publicis porro
lar-

largietur. Sospitet *TUAM ILLU-
STRISSIMAM EXCELLEN-
TIAM* Sanctissimum illud atque omni-
potens Numen, ac præterhunc quem
modo ingressa est annum, innumeros
sequuturos ex voto *TUO ILLU-
STRISSIMIQUE TUI STEM-
MATIS* jubeat effluere. Sic cupiunt
boni omnes, sic vovent Musæ, sic o-
ptant Clientes, sic ardentissimis suspiriis
precatur

*COMES AC DOMINE
GRATIOSISSIME,
TUI*

*Illustrissimi & Excelsi Nominis
Cultor humillimus*

D. JO. CHRISTIANUS LEHMANN. P.P.



RECTOR
ACADEMIÆ MAGNIFICÆ
AUDITORES OMNIUM ORDINUM
HONORATISSIMI.



Vemadmodum nemo inter Vos,
Viri summi, quotquot heic
confidere voluistis, reperitur,
cui non perspectum sit ac co-
gnitum, quam nobilis sapientiæ
humanæ pars PHILOSOPHIA
NATURALIS existimari debeat, & quam diffuse
pateat disciplinæ hujus emolumentum. Italice-
bit in gratiam Juventutis Studiosæ pauca quædam
B præ-

præfari de commodis, quæ in ipsam ex hac utilissima scientia redundare solent, ad quamcunque Facultatem superiorem, imo dixerim ad quodcunque propemodum vitæ genus animum applicuerint, hoc solo fine, ut partim calcar addatur in eo studio jam tum decurrentibus, partim alii extimulentur ad periculum faciendum suarum virium in ea Philosophiæ parte, quam aliàs aut inutilem sibi aut saltem supervacaneam credidissent. Principio quidem haud erit probatu difficile:

Quod Physicæ distinctior cognitio THEOLOGICÆ Cultores non parum sit adjutura; Non enim solum in libris Mosis, præsertim Geneleos, atque in libro Jobi & Psalmis Davidicis, sed in toto Codice Sacro passim longe plura occurrunt, quorum tam intellectio, quam explicatio & vindicatio sine prægustu aliquo causarum naturalium non potest sperari, multo minus obtineri. Sic in veteri Testamento magnorum luminarium Solis & Lunæ; aquarum supracœlestium; Diluvii, splendentis faciei Mosis; cultrorum lapideorum; terræ motus; proceræ staturæ Sauli; melancholiæ ejusdem per Davidis musicam curationis; somni & somniorum; Arcturi Orionis & Plejadum; claustrorum item maris. In Testamento novo ventorum; prognosticorum pluviarum

rum & serenitatis; stellæ Magos præcedentis; Sudoris sanguinei; grani Sinapis; totque aliarum rerum naturalium expressa fit mentio. Unde permoti sunt docti viri, ut ex instituto de rebus naturalibus in scriptura occurrentibus peculiaria scripta publicarent. Ita Johannes Mey Commentaria edidit in loca selectiora Bibliorum, in quibus de rebus naturalibus agitur: de Universitate & originibus rerum conditarum Andreas Libavius; Historiam animalium sacram Wolfgangus Franzius; de herbis & arboribus ex Bibliis erutis Levinus Lemnius; de morbis biblicis Bartholinus; de gemmis Apocalypseos Franciscus Rueus, non minus de miraculis in creaturis elucentibus Johannes Morhardus libros promulgare nulli dubitaverunt. Denique cum Acromaticus Theologus vix evaserit, qui plane hospes in Philosophia est, unam vero ex præcipuis sphaeris Philosophiæ absolvat naturæ corporum mundanorum scientia, necessario illud consequitur, oportere Cultorem Theologiæ prænosse potiora capita doctrinæ Physicæ.

Sed vero illud paradoxum adparebit multis; quod etiam his, qui JURIS studio se addixerunt, commendanda veniat notitia Scientiæ, de qua differimus. At rem ita se habere vel ex se-

quentibus manifeste omnino adparebit. Certe annon peregrinationibus operam dare solent pluri-
 rimi, qui nomen profiteri inter Politicos consti-
 tuerunt? Sed annon peregrinator politicus, præ-
 ter rariora status, religionis & reipublicæ, etiam
 naturæ & artis curiosa observare tenetur & in dia-
 rio suo notare? Jam enim terra iter facienti sese ob-
 jecerint montes, atque hi vel metalliferi vel Vul-
 canii; Jam cryptæ intrabuntur subterraneæ, aut
 propter venenatos halitus vitabuntur. Jam fon-
 tes medicati, jam meteora non ita frequentia,
 jam monstra spectabuntur non humana tantum,
 sed brutina quoque, imo vegetabilia etiam. E con-
 trario proficiscentibus maritimo itinere, undarum
 Pelagi salfugo, fluxus atque refluxus, ventorum ac
 tempestatum varietates, pyxidis nauticæ usus, &
 hujus commatis alia occurrent, quarum causas
 intimius perspicere sint optaturi. Deinde non in
 quotidiana tantum vita, verum in ipsis Principum
 ac Regum aulis occasio toties enascitur loquen-
 di de fulmine ac tonitru, de ignibus lambentibus,
 de phosphoris, de pluviis prodigiosis, de grandine,
 nive, de pluribus visis solibus aut lunis, aliisque
 æreis spectris, de thermis atque acidulis, de moti-
 bus sympatheticis & antipatheticis, de plantis exo-
 ticis, de metallifodinis ipsarumque mineralibus,
 de

de chrysopeia, de cometis reliquisque novis stellis, & quæ sunt talibus similia. Quod si ergo aliquis ex Politicis adstantibus rationes reddere ejusmodi rerum calleat, principis animum demulcere, sibi vero ipsius gratiam, apud reliquos autem præsentis experientiæ autoritatem conciliare poterit. Quid quod tam belli quam pacis tempore de variis fructibus, ex naturalis Philosophiæ cognitione provenientes vir politicus queat gaudere! Arcem aut hortum sumptibus vel suis vel publicis excitaturus, fundi, aquæ, & aeris salubritatem aptitudinemque, cœli plagas, materiarum qualitates, & quæ cætera fuerint, ipse examinabit, dijudicabit. Pariter in castrorum metationibus ad talia oportebit respicere; in ipsa acie struenda sol observandus & ventus; in obsidionibus urbium pluvius & serenus aër, terrarum sicca aut aquosa, pinguis aut salebrosa vel saxosa etiam habitudo; Quin in propugnaculorum oppugnationibus ad lunam vel plenam eamque tam orientem quam occidentem, vel silentem erit attendendum; imo callidus belli Dux vel ex ipsis tempestatibus nonnunquam proficere didicit. Quemadmodum Martius Heros sine pari EUGENIUS SABAUDUS, nostra memoria cœlo tonante ac fulminante Athesin Italiæ, præsentibus Gallis ho-

stibus, non sentientibus tamen aut opinantibus, felicissime superavit. Paucis: Politicus in macrocosmo & microcosmo, & sic in se ipso hospes fuerit & advena, nisi Physicam didicerit, certe multa in scriptis Historicis loca ne quidem intellexerit. Hæc tamen cuncta si iurium cultori levioris videntur momenti, quam ut Philosophiam naturalem impigre auscultet, is demum serio velim perpendat nobiliorem ac universaliorem, quem celeberrimus quondam Sturmius ex naturali scientia in compendium misit atque omnibus certissime promisit fructum, scilicet nosse se, nosse mundum & nosse DEum; atque efficacius opinor, ab illo allicietur.

Quid vero de illis dicam, qui Studio Æsculapiano sive arti Medicæ serio litare discipiunt? Profecto hi vel maxime in Physica tam Rationali quam Experimentalis debent ita sedulo versari, ut in singulis ejus partibus fiant exercitissimi. Nam ubi Physicus desinit, Medicus incipit; Et sane Medicinam sine Physica, hominem dices sine pedibus, sine radicibus arborem, montem sine valle, palatium sine fundamento, sine carina navim, currumque sine rotis. Atque si quod res ipsa est fateri libere debeam, sic mihi persuasum habeo, sic aliis existimatum recordor, nec Medicum

cum esse titulo isto dignum, qui non sit bonus Physicus; nec Physicum exquisite perfectum; qui non quasdam Medicinæ partes, præsertim Chymiam & Anatomiam, quantum satis est, hauserit.

Atque ut quod res est fatear, hæc eadem causa sese obtulit, qua permotus sum, ut hac vice DE GERMANA PHYSICÆ ET MEDICINÆ FAMILIARITATE, vel, quod perinde est, DE SORORIO ARTIS UTRIVSQUE NE-XU, Deo clementissime favente, verba facere, constituerim.

Vos ergo, Rector Academiæ Magnifice, Viri Proceres Gravissimi, Auditores reliquorum Ordinum Honoratissimi. Vos inquam obnixissime ac peramanter rogo: ne dedignemini, per temporis exiguum spatium aures vacivas, lingvasque faventes dicturo mihi concedere. Ego hac vice tantam benevolentiam gratissimo pectore condam, atque orationis brevitate compensabo, alio autem loco & tempore observantia mea officiisque ac studiis destinatissimis demereri nunquam cessabo.

Nexus vel nexum, ipso definiente Cicerone; est: obligatio civilis, quæ per æs & libram fiebat, septem adhibitis testibus, atque iis civibus Romanis puberibus. Quando itaque de familiari Physicæ

ficæ & Medicinæ nexu roborare meam, quam in-
 timavi, assertionem aggredior, haud inconvenien-
 ter, uti opinor, egerim, si testes septem adhibeam,
 hoc est, si septem Physicæ universæ sectiones pro-
 ducam in medium, atque sic per cives Romanos
 puberes, h. e. per partes Physicæ essentialis atque
 per capita ejusdem *domestica*, nexum illum com-
 probem. Ac primum quidem nonnulla memo-
 rabo, de nexu, quo Physica Generalis, sub qua
 considerationem elementorum, uti nunc in statu
 mixtionis occurrunt complector, Medicæ arti de-
 vincita observatur. Nimirum conveniendum est
 Medico cum Physico, & huic cum illo, circa istam
 materiam, ex qua, tanquam basi ultima, omnium
 naturalium corporum compages coagmentata
 concipitur. Hujus essentiam uterque agnoscat
 in extensione reali consistere, atque insuper ita esse
 comparatam, ut suarum particularum minima-
 rum varia quoad figuram, numerum, situm, mo-
 tum, ac quietem permixtione ac dissociatione
 produci possint corpora mixta, qualia mundus
 capit, longe diversissima. Oppido enim foret
 ridiculum, si quoad primam illam, ut Scholæ vo-
 cant, materiam Physicus & Medicus doctrina-
 rum facere vellent divortia, & in omnia alia abire.
 Porro cum Physicum tum Medicum amice con-
 spici-

spirare oportet; in principio activo communi
 cujus nempe virtus per omnia diffunditur.
 Ipsum hoc uterque nullum aliud undiqua-
 que reperire poterit quam motum, profe-
 ctum à DEO utpote vel ipsorum gentili-
 um sententia motore primo immobili, id est
 infinito. Ut primum ergo in his duobus prin-
 cipiis consenserint, uno passivo vel uti ajunt,
 EX QVO, altero activo sive A QVO, sine dif-
 ficultate animadvertent, proprietates à motu
 in materiam introductas esse illam partem con-
 stitutivam rerum, qua corpora à corporibus
 tanquam formis differant ac distinguantur.
 Sic in eo concentum videbis & convenientiam
 utriusque: Quod habeant corpora composi-
 ta omnia, tam solida quam fluida, poros; hos
 Physicus ex figuris partium contiguarum de-
 monstraverit: Medicus in sudationibus, in
 transpiratione insensibili, in sympathiis & anti-
 pathiis supponet & applicabit. Perinde rari-
 tatem & densitatem, dilatabilitatem & com-
 pressibilitatem, friabile & fragile, fluidum &
 stabile, glabrum & asperum, locum sine & cum
 locato ex iisdem fundamentis pro re nata utri-
 libet vel negabunt vel affirmabunt. Non mi-
 nus e jusdem erunt sententiæ in hoc: Quod

C

ele-

elementa, quomodo nunc se nobis offerunt, inter mixta jam dum corpora debeant connumerari; atque Ignem quidem ex sulphure fluido rapidissimo ætheri inhærenti; Aerem ex globulis æthereis & particulis atmosphæreæ elasticis; Aquam ex cylindrulis lubricis; Terram ex moleculis partium irregularium combinari. Quorum omnium in Physica recte prælibatorum usum non exiguum Medicus, quoad ignem ejusque gradus in Chymia, quoad aquam & humores in Physiologia, quoad terram in Pharmacia, quoad aerem in Diætetica & sic porro certissime experietur. Sed hæc de primo teste ex parte generali Physicæ in medium allato sufficiant.

Secundi testis vices Meteorologia ordine velut suo sustinebit. Equidem diffiteri ne utiquam debeo, leviora esse comoda, quæ hæc Physicæ pars arti Machaoniæ subministrat, ea tamen non plane nulla deprehenduntur. Nam habent febriles insultus analogiam cum illis telluris conquassationibus, quas terræ motus adpellamus: Flatuum circumstantiæ per meteora flatulenta, hæc vicissim per flatuum circumstantias illustrantur; Insultus arthritidis vagæ ignibus discurrentibus; sic dictum calidum innatum

tum Phosphoro; sudores roribus; defluxiones humorum pluviis; Urinæ habitudinem maris falsedini; circulationem sanguinis, fontium fluviorum mariumque tendentiis ac nundinationibus similes perhibebis. Cæterum quemadmodum Medicum accuratior Meteorologiæ cognitio non parum ornat, sic in praxi medica morborumque curationibus ad aëris æstum & frigus, ad ventorum ac fulminum tempestates, ad nebulas foetidias, ad cælum pluvium & serenum; ac vel maxime tempore grassantis vel pestis vel alius morbi epidemici ad ista omnia respicere is tenetur. Ex quibus, meo quidem iudicio, de Philosophiæ naturalis & Medicinæ arctiore ac velut sororio nexu, ratione ipsius Meteorologiæ, non obscure constiterit.

Quamobrem accessum sine mora facio ad Minerologiam. At quantus dicendorum campus hic sese aperit! Non erravero, si eandem hanc fundamentum esse statuam universæ Chemiæ Medicæ, Pharmaceuticæ vero spiritum & animam; Nec vero aliquid à veritate abludens attulero, si affirmem, non nisi Medicum huic parti ex arte posse satisfacere. Heic, iudice Helmontio, Philosophandum est per

ignem: Resolvendi sunt succi concreti sive Salini sive Sulphurei; Rimandæ terræ minerales sive domesticæ sive exoticæ; claustra solidissimorum metallorum referenda; etiam Lapidetam pretiosi quam vulgares in imis suis quasi visceribus sistuntur perlustrandi. Histentaminibus prudenter peractis Physico-Chemicus de variis Hypothesibus circa rerum naturalium principia efficitis; de transmetallationibus atque famosa ista Chrysopeia; de Gemmarum adulterationibus: Chémico-Medicus de Paracelsisticis Theophrasti ejusque admiratorum arcanis; de Helmontianis specificis; de Hieronymi Cardani circa virtutes lapidum pretiosorum somniis, qualia sunt, quod Adamas benevolentiam conciliet ac timores dispellat, quod ex equo lapsis chrysolithus immunitatem præstet, contra arthritidem & convulsiones conducat magnes; vocem raucam & asperiores curet onyx; confortet ventriculum Jaspis viridis; quod resistat elephantiasi berillus, morbo regio chelidonium, pestilentia Hyacinthus rubens & Sapphirus, sterilitati amethystus, quod ingenio profit Smaragdus, de his inquam atque similibus omnibus judicium genuinum Physico-Chémicus & Chémico-Medicus

CUS

cus facili ratione interponent. Quemadmodum vero ficta hæc & inania existunt prope modum omnia; sic e contrario Minerologia thesauros aperit Medicinæ omnino pretiosissimos: Etenim dies minime sufficeret, si de Medicamentis ex Nitro, Alumine, Vitriolo aliisque salibus parandis; si de Bituminis, Petrolei, Naphtæ, Succini aliarum item sulphuris specierum usibus; si de levaminibus à Terra vel Lemnia, vel Silesiaca, vel simili; à bolo Armena & Tockaviensi; ab Antimonio quoque & Mercurio expectandis; si tandem de nobilissimis specificis ex Marte atque Saturno & Metallis cæteris, neque minus ex lapidibus qua vulgariibus qua pretiosis, qua crudis qua præparatis, cum fructu humani generis incomparabili conficiendis commentari vellem aut iusta oratione dissertationem facere. Norunt rem, non modo exquisiti Philosophi, excellentes experientia Medici; sed vel ipsi cum Physicæ tum Medicinæ Studiosi capiunt, intelligunt, contentur.

Novum connubium naturalis Philosophiæ atque Medicæ artis in Phytologiæ & Botaniciæ arcta cognatione occurrit quartum sororii nexus testem suppeditans. Ostendit

Physicus generaliter : Plantam esse corpus, quod talem habeat dispositionem organicam, ut per innumeros ejus ductus alimentarius succus a principio activo insito quaquaverfum ita diffundatur, ut nutritionis, augmentationis & generationis edantur specimina. Porro examinat plantarum corpus organicum, cute, fibris, nodis, radice, caule aliisque partibus constans. Demonstrat processum nutritionis ex particulis terreo-aqueis, & quid ad eum vel Solis radii conferant, vel interanei ignes, vel aër etiam circumfusis & ventorum flabellationes. Inquirit, cur non omnia ferat omnis tellus; cur plantæ prope alias consitæ pereant, aliæ contra succrescant feliciter? Modos etiam quibus plantæ sese multiplicant curiosius scrutatur. Botanicus vero hæc eadem supponit, sed mox ad specialia progreditur; numerat florum folia, figuras foliorum pensitat, inspicit radices, degustat mentis judicio fructus. Tradit ex factis observationibus, florere mense Januario Chelidonium minus & Arthriticam; Februario Asarum, Corylos, Fumariam, Leucoium bulbosum &c. Martio Crocum montanum, Caltham palustrem, terrestrem Hederam, Hyacinthos, salices &c. Aprili, allium ursinum,

num, alnum, aquilegiam, betulam, cerifolium, nasturtium pratense, & quis herbas omnes & arbores florentes numerabit? Majo Betonicam, absinthium, angelicam, asparagum, liliū convallium &c. Junio calamintham, cichorium, genistam minorem, gentianam, hypericum minus &c. Hocque modo per Julium, Augustum reliquosque menses usque ad finem anni procedit. Sollicitus est de herbis patriis, de herbis vicinarum provinciarum, imo de Asiaticis, Africanis & Americanis. Colligit vastissima herbaria viva. Differit ex Phytognomicis de plantarum signaturis, omnium maxime autem virtutes Vegetabilium eorundemque in Praxi medica usum genuinum indagare allaborat.

Veruntamen, ne diu nimis pedem figam in isthoc uno puncto, Quintus nunc testis audiatur familiarioris nexus Physicam inter & Medicinam intercedentis. Videlicet quale Consortium modo annotavimus inter Phythologiam & Botanicam, talismodi aliquod, imo longe adhuc arctius inter *Θηριολογίαν* Physicam & Zoologiam Medicorum animadvertitur. Nempe Physicus ut plurimum est contentus cognitione animalium

lium ea, quæ partim organici corporis, partim principii in corpore organico activi, quod animam adpellare solent, naturam haurit. Hinc partes corporis animalis dispescit in solidas & fluidas. Considerat Facultates vegetativas, nutritionem, augmentationem, generationem. His delibatis contemplatur organa sensoria atque cum externos tum internos sensus, nec minus locomotivam in animalibus Facultatem ad leges mechanicas revocat.

At Medicus contra, talibus rite præmunitus Anatomiam adjungit, cultrisque ac microscopiis aliisque pluribus instrumentis admotis minutissima quæque tam solidarum, quam fluidarum partium rimatur; organa & processum nutritionis atque generationis intime pervestigat; sensationum officinas detegit; organa sensoria mechanico artificio sæpius imitatur; musculos motui animalium inservientes oculis exponit; tandem recondit varia, ut vocant, anatomica præparata; iisdemque ac animalium dissectorum Sceletis vel Museum privatum, vel publica Theatra anatomica exornat.

Paucis: nihil plane intermittit eorum, quæ ad claram & distinctam naturæ animalium notitiam ulla ratione poterunt facere.

Sed

Sed ita statim præsto adest ac fores aurium pulsat testis Sextus, Anthropologiam Physicam intelligo. Hujus multa capita, si corpus humanum respicias, cum Zoologia prorsus conveniunt, atque hinc per Anatomica experimenta similiter luculentissime illustrantur. Post Anatomiam vero Physiologia utramque paginam complet ad perficiendam Anthropologiam, ut tamen Pathologiam non prorsus exclusam velim. De cujus mei asserti veritate abunde constiterit, si summa tantum capita ex libro cedro dignissimo, Viri incomparabilis & vere Magnifici, Dn. D. Johannis Bohnii, Præceptoris nostri ad cineres usque colendi, cui titulum Circuli anatomico-Physiologici fecit, Vobis, Auditores Honoratissimi, intinem. Tractatur enim in illo: de generatione & conceptione; de vita & nutritione foetus; de partu; de principio vitali sive forma corporis nostri animalis; de respiratione, de sanguinis circulatione; de Nutritione; de appetitu ventriculi; de alimentorum assumptione; de chylicatione; de Chyli depuratione & motu per intestina; de Chyli motu per vasa; de sanguine & sero; de Urinæ secretionem atque excretionem; de transpiratione & Sudore; de purgatione

D

Men-

Menstrui; de Epatis officio; de Lienis usu; de Spirituum animalium natura; de spirituum animalium generatione; de spirituum animalium dispensatione; De sensibus externis in genere; de Tactu; de gustatu; de olfactu; de Auditu; de Visione; de sensibus internis; de motu animali; de Somno & Vigiliis. Quæ omnia non obscure probant, tunc demum Anthropologiam legitima ratione esse traditam, ipsiusque exhaustum fuisse alveum, ubi sorores ejusdem, Anatomia scilicet ac Physiologia, manus amicas cum illa conjunxerint.

Supereft, ut testis Septimi, qui nexum oppido familiarem Physicæ & Medicinæ confiteatur, locum expleat Cosmologia, ultimum illud Philosophiæ naturalis methodo synthetica traditæ complementum. Etiam si autem refragari pertinaciter nolim asserenti; directe Medicinam cum Cosmologia summo necessitudinis vinculo haud neçti: Nihilominus tamen, illud in propatulo esse opinor, per indirectum ex illa in Medicinam non contemnendos emanare fructus, atque ita cognationem in linea collateralis, qualis ad nexum sororium alias sufficit, optimo jure asseri. Principio annon dedeceret Medicum, ignorare ex Cosmologiæ
Ura-

Uranographia naturam cœli cœlestiumq; corporum, si quæstio moveretur de sententia Veterum; Quod cœlum substantia constet, à materia corporum sublunarium ipsa essentia differente; quod solidis sphaëris mutua collisione concentum suavissimum edentibus absolva-
 tur; quod intelligentiæ sphaëris illis præsent ipsarumque constantem motum administrent? Annon de influenza siderum iudicium aperire Medicus toties adiget, quando ægrotus ob-
 jecerit, thema nativitatibus sibi quondam à solerte quopiam Astrologo erectum præmonstrare hos vel illos morbos, aut etiam, per certi cujusdam morbi vim, fatalem vitæ exitum; Quam forte ipsi difficultatem aliquando Vir Princeps in rerumque constitutus fastigio opposuerit?
 Annon, quoniam cura per amuleta in univ-
 ersum non potest repudiari, circumspectum esse decebit Medicum, ne nubem pro Junone amplectatur, atque ne in Astrolatriæ Medicæ vanissimam incidat superstitionem? In scripto Theophrasti Paracelsi, certe impostoris in non unis rebus manifesti, totus liber tertius, de Medicina cœlesti, sive de Signis Zodiaci & Mysteriis eorum, consignatus legitur. In eo toto conatur probare: Quod rite selecta metalla,

postquam signaturis planetarum aliorumque characterum ac signorum proportionatorum, conveniente loco & tempore fuerint rectificata, vim habeant exquisitissimam tollendi morbos valde etiam desperatos. Ad ultimum signaturas varias nummorum ad conservationem visus, contra morbos cerebri, contra Paralyfin, Calculum, Podagram, Contracturas, lepram, vertiginem, palpitationes cordis & similes imbecillitates alias facientes, figuris signorum adjectis, exhibet. Annon autem fieri potest, ut Medicus archiater, aut integra quædam Medicorum in Academia Facultas, sententiam ferre jubeatur de hujusmodi curationibus, præfertim si credulus aliquis Empiricus tali aliquo remedio adhibito, veram curam ægrotantis neglexisset, miserumque illum Libitinæ immolasset? Eam vero sine Astronomiæ penitiori cognitione neutiquam tulerit. Deinde, quid juvaret Medicum, nosse partes Physicæ, Stichiologiam, Meteorologiam, & quæ sunt reliquæ, nisi quoque calleret, qua dispositione inter sese cohærescant, quodnam Systema mundi Ptolomæus, Copernicus, Braheus, Cartesius aliique assignaverint? Tandem quotidiana experientia edocemur, quod in praxi medica, & quidem
in

in morbis non unis ad Lunæ phases, ejusdem incrementa & decrementa, ad anni à Solis cursu dependentes partes, sollicitè nonnunquam debeat respici; Etenim ex Polonia pestis lue hæctenus misere adflicta perscriptum constat; contagium istud semper circa novilunia & plenilunia, præsertim circa novilunia sævius existisse, ac majorem dedisse stragem, quam cum nocturnum illud sidus spectatum esset, ut vocant, in quadraturis.

Verum enim vero, patientiâ Vestrâ Viri summi, Vosque reliqui Auditores Honoratissimi abuterer, si in re tam manifesta, quam Sol est, cœlo sereno culminans, pluribus demonstrationibus asserti nostri: **DE SORORIO PHYSICÆ, MEDICÆQUE ARTIS NEXU**, Vos detinere & ab aliis curis Vestris porro abstrahere molirer, insuper quoque foret illud contra promissionem nostram statim ab initio datam, qua pollicebamur gratam splendidissimo huic Auditorio brevitatem. Lætor potius vehementer, quod ex benevola Vestra attentione intelligere potuerim, Vos ejusdem mecum esse opinionis, atque tacite mente profiteri; septem a me allatos testes, Physicam generalem, Meteorologiam, Mine-

rologiam, Phytologiam, *Θηριολογίαν*, Anthropologiam & Cosmologiam rem suam bene egisse ad probandum sororium Philosophiæ naturalis atque artis Machaoniæ nexum; quem non dicam meo, sed Vestro amplissimo iudicio, nemo in dubium vocare amplius sit ausurus, nisi ignorantiam suam cum ignarissimis vellet proditam.

Licebit autem, Patres Conscripti, Auditores suspiciendi, licebit, pace Vestra, ad me ipsum paucis verbis facere transitum. Proposueram mihi ad hasce amœnissimas Tilias delatus, vestigia B. Parentis mei, Doctoris Eliæ Lehmanni, Duorum Saxoniae Electorum Archiatri, cuius memoria in Serenissima aula Potentissimi Regis & Electoris nostri adhuc viret, pressius legere, ac Medicæ arti sic navare operam, ut me praxi aliquando, præsertim in Patria dulcissima, in qua fundus non contemnendus mihi hæreditatis jure obtigerat, totum addicerem.

Huic meo scopo convenire observabam Philosophicas quidem scientias, Physicam præsertim; sed non convenire opinabar honores Philosophicos. Exstimulabar vero à meis eo tempore in Philosophia Præceptoribus, sine
du-

dubio divina sic disponente Providentia, ad capefcendum anno Millefimo Sexcentefimo Nonagesimo Sexto, Pro-Cancellario tunc temporis, Johanne Gottlieb Hardtio, Facultatis Philofoph. Aſſeſſore, nunc Log. & Metaphyf. P. P. Doctoratum Philoſophicum. Nihil autem minus cogitare poteram, quam quod per iſtam ſcalam mihi aliquando aſcendendum eſſet ad Profeſſionem Philoſophiæ Naturalis, utpote qui ad hoc tantum reſpiciebam: requiri in eo, qui ad facultatis Medicæ locum aſpirat, Doctore Medico, ut Magiſterii titulo in noſtrate Academia obtento ornatus conſpiciatur. Hunc in finem ex hac ipſa cathedra pro loco inter Magiſtros, de Transmutationibus Corporum extraordinariis, anno Millefimo Sexcentefimo Nonagesimo Septimo, diſputabam, atque poſtea, nempe anno MDC XCIX. à gratioſiſſima Facultate Medica privilegiis Doctoris condecorabar, Hoc peracto, curæ mihi cordique fuit, ut tam in Theoria, quam praxi Medica magis quotidie proficerem, probe memor moniti Hippocratis: longam eſſe artem, vitam brevem. In Theoria agnoſcebam ſororium Phyſicæ, præſertim Experimentalis cum Medicina Nexum, illam ergo deperibam non ſine
mul-

multis laboribus nec sine sumptibus gravioribus. In Praxi vero, proximo auxiliatrices manus pro virili parte ferre studebam. In hoc rerum mearum statu, negotia Matris amatissimæ, Vitrici quoque B. Doctoris Sigismundi Gabrielis Otto, imo ad proprias meas possessiones pertinentia me adigebant, adire quosdam Viros, Proceres aulæ Excellentissimos; In horum familiaritatem, quod sine jactantia dictum sit, admissus, vidi statim: æstimare & ipsos rerum naturalium per varias observationes & experimenta Demonstrationes. Ad ultimum in conspectum Potentissimi Regis & Electoris nostri, Domini nostri Clementissimi sum adductus, cujus Regiæ Majestati non tantum ad alloquium tenuitatem meam aliquotiesmittere clementissime placuit; sed quæ Majestas insuper in præsentia Potentissimi Danorum Regis, totiusque Aulæ splendidissimæ, Experimenta mea levidensia oculis Regiis indulgentissime collustravit, quæ res postmodum occasionem dedit coram Serenissimo Principe Regio, Dno. meo clementissimo, alio tempore similia operandi. Quem admodum autem Regia sua Majestas, inter tantas curas Regias, curiosis inventis & demon-

stra-

strationibus, in quibus dijudicandis singulari pollet acumine, delectatur, ita qua est incomparabili Regia Clementia, mihi antehac Professionem Medicinæ Extraordinariam demandavit, novissime autem Philosophiæ Naturalis Professionem ordinariam concedidit.

Id circo non mero aliquo aut fortuito casu: sed DEO ita providente factum est, ut in me Philosophiæ & Medicinæ Doctorem Lipsiensem, Philosophiæ Naturalis Professio ordinaria conferretur. Pro quo singulari beneficio ante omnia DEO ILLI, UNI ET TRINO, omnium bonorum inexhausto fonti; Et post hunc POTENTISSIMO POLONIARUM REGI ET SAXONIÆ ELECTORI SERENISSIMO **FRIDERICO AUGUSTO**, DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO, immortales ago gratias. Protegat DEUS Regem & Electorem nostrum! Protegat Regium Principem, Sacram salutis nostræ anchoram! Protegat universam Rutam Saxoniam! Protegat nos, aras nostras & focos nostros, præsertim celeberrimam hanc

E
Aca-

Academiam, florentissimamque urbem sub felici tutamine Regiæ suæ Majestatis, & sub virentis perpetuo Rutæ Saxoniae umbra! Ego vero id conabor omnibus ingenii viribus, ut Philosophiam Naturalem, junctis Ratiocinio & Experientia clare doceam: Sed cum ingruente hiemis tempestate, dies breviores impedimento futuri sunt, quo minus mane à VI ad septimam, hæc enim hora prælectionibus Physicæ doctrinæ publicis ordinaria est, comparere in hac cathetra valeam; neutiquam tamen feriabor; verum quamprimum autumnalium nundinarum strepitus præterierit, aliâ quadam commoda horâ, lectionum mearum publicarum pensâ domi profequar, tamdiu continuaturus, donec DEO dante, justa sua incrementa dies recuperaverint. De quibus omnibus futuri Domini Auditores mei ex intimationibus publicis pro valvis Academiae affigendis propediem plura cognoscant.

Quod vero est adhuc reliquum, Vobis,
 RECTOR ACADEMIÆ MAGNIFICÆ,
 Procere observantissime Colendi,
 Au-

Auditores omnium ordinum Honoratissimi, Vobis, inquam, devota mente gratoque ore gratias habeo & ago maximas, quod hæc Professionis meæ auspicia, Vestra honorifica præsentia cohonestare, indifertæ meæ orationi favere, Vosque Musis meis Patronos, Fautores & Amicos demonstrare non gravatim volueritis.

Sancte polliceor : me per omnia vitæ meæ spatia id curaturum esse, quantum in facultatibus meis situm est, ut officiorum & servitiorum meorum cum benevolentia Vestra nexum Sororium perpetuo experiamini. DIXI.



Auctores omnium ordinum Honorabilissimi
 Vobis, inquam, devota mente gratoque ore
 gratias habeo & ago maximas, quod haec Pro-
 fectio mea auctoritate, Vestra honorifica pra-
 sentia corroborare, indiget: mea orationi sa-
 vere, Vosque Nulla mea Patronos, Patronos
 & Amicos commendare non gravatum volue-
 rit.

Sanguis pellicor: ite per omnia vitæ
 mea spatio in curatorem esse, quantum in
 facultatibus meis situm est, ut officiorum &
 servationum meorum cum benevolentia Vo-
 strarum serentur perpetuo experia-
 mini.

mini. DIXI.



REGIA ACADEMIA SCIENTIARUM
 LIBRARIUS



PROGRAMMA
12

JO. CHRISTIANI LEHMANN,
PHIL. ET MED. D. PHYS. P. P. ORDINAR.
MEDIC. EXTRAORD.

PROGRAMMA INVITATORIUM

DE
DUABUS NATURALIS PHILOSOPHIÆ

ALIS
RATIOCINIO ET EXPERIENTIA

PRÆMISSUM
ORATIONI AUSPICATORIÆ.



Æpe multumque animo volutavi meo, qui factum sit, quod Philosophia naturalis, inde a prisca Sapientum ætate per bis mille annorum tempora, non dicam sterilis sed oppido jejuna, licet omnes fere docti operam ipsi darent, permanferit, donec superiori seculo decimo septimo cultior prodiret, atque in hunc usque diem innumeris aucta incrementis omnibus sese, ipsis etiam summis Monarchis redderet acceptissimam. Quam primum vero diligentius inquisivissem in methodum, qua usi veteres sunt in pervestigandis rerum naturalium causis, & ipsam hanc contulissim cum instituto recentiorum rectiusque sentientium naturæ Mystagogorum, haud difficulter observavi obstacula opposita illis, ab his autem, recentioribus putata, sublata, quantum hæctenus fieri potuit, e medio. Nihil nunc quidem dicam de antiquissimis Physicis, qui jam fabulis & ænigmatibus naturæ phænomena involvebant; jam unum exsculpere corporum omnium principium materiale desudabant, hoc laborantes præjudicio, oportere illud unum esse quodpiam ex quatuor

tuor sic dictis elementis; jam obscurius & intricatius studio loquebantur, propemodum ut hodie Alchymistæ solent facere, intelligi nolentes: Ad ipsum Aristotelem respici velim, Physicorum quotquot ante sua tempore inclaruerunt reprehensorem & flagellum. Hic abstractionibus adsvetus, continuo subtilius ratiocinabatur, de observationibus per experimenta nihil quicquam sollicitus, qua via, præsertim quod nova adfectaret atque aliis ante se haud trita principia, de privatione somniabat, de materia informi, & de formis substantialibus a materia tota essentia differentibus. Sic jacta erant Physicæ ratiocinativæ tot seculis perpetuandæ ficulnea fundamenta. Nam Græci Aristotelis asseclæ, uti à Præceptoris doctrina ne latum quidem ungvem recesserunt, ita concumularunt speculationes speculationibus. Romani Platonica & Stoica intermiscabant. Arabes nec Aristotelem, nec Græcos ejusdem interpretes recte assequebantur. Scholasticorum autem turba ex Physicæ & Metaphysicæ metallis unum conflabat indigestum chaos, ut tandem genuina Physicæ cujusdam facies vix amplius adpareret. Excusari quidem possent dicta naturalis Philosophiæ fata, partim quod primordia

dia uti rerum aliarum, ita vel maxime scientiarum esse soleant rudiora; partim quod veteres destituti fuerint illis quibus nostra ætas abunde fruitur adminiculis, qualia sunt librorum typis excusorum copia, virorum eruditorum multitudo, præsertim vero adparatus tot instrumentorum, quibus corpora longissime distantia oculis coram sistere, illorum contra corporum quæ præ manibus sunt intima viscera recludere valemus: At omnia illa neutiquam absolvere possunt veteres ab omni prorsus rei male gestæ culpa. Etenim annon tot seculorum intercedere potuissent autoritatis cæca præjudicia? Annon instructissimis gaudebant manuscriptorum bibliothecis? Annon assequi poterant, loco metaphysicarum abstractionum, mathematicas Scientias artesque Mechanicas vocandas esse in subsidium, atque hoc eo magis, quod agnoscerent ac confiterentur, tam arctissimam inter Physicam & Mathesin cognationem, quam eam studiorum rationem rectam esse atque ordinatam, quæ sine Arithmeticæ & Geometriæ aliqua prælibatione non susciperetur. Certe dubium non est, quin citius incidissent in methodum res naturales evolvendi eam, quæ nunc observatur & quotidie

die magis perficitur. Videlicet duo fulcra sunt, ut sententiam clare dicam, quibus Physicæ palatium nititur: **RATIOCINIUM ET EXPERIENTIA.** Hæc nisi legitime conjungantur, ruinam illud minitabitur, quin tandem prorsus corruet. Cæterum in tanta utriusque necessitate difficile dictu est, utrum ratiocinium experientiam, an hæc ratiocinium antevertat, cum indivulso nexu semper propemodum cohærescant, atque uti duo pedes corporis nostri ad itionem, duæ alæ ad volatum avium requiruntur, ut tamen jam dexter pes jam sinister, jam sinistra alarum jam dextra prius moveantur, perinde suas se invicem antecedendo & consequendo servent varietates. Totam ergo rem mihi sic concipio: Ratiocinium aliud est generale, ipsam rerum primam apprehensionem concomitans: Hoc experienciâ proprie ita dictâ omnino prius agit, licet sensuum experientia eidem inferviat. Aliud contra ratiocinium speciale dixerim, quod post inductionem singularium, quam Philosophiæ matrem esse docti prædicant, assertiones format evidentes seu ut vocant scientificas. Hoc ipsum ab experientia prævertitur tam fortuita, ut si Chymicus varia experimenta faciat, incertus quæ-

F nam

nam phœnomena sint consecutura; quam etiam à deliberata, verbi causa, si aëris gravitas aut elasticitas, magnetis poli ac chalyboclisis &c. sint dijudicanda. Caveatur modo cura qua fieri poterit maxima, ne ratiocinium præjudiciis affectus, autoritatisque & consvetudinis laboret, ac ne experientia vel per sensuum fallacias, vel per hypothesium fictarum chimæras abeat in fumum. Memoratis duobus fulcris convenienter juxta se à recentioribus positus & adornatis, omnia hactenus obtenta incrementa sua Naturalis Philosophia debet certo certius. Ut primum enim animadversum à Viris experientissimis, cardinem physicarum demonstrationum in eo verti, ut juxta mechanicas leges procedatur, statim idegerunt alii, ut invenirent instrumenta longe pluribus usibus aptissima, alii ut instrumentorum ingeniosa applicatione scrutarentur abdita naturæ viscera, utrorumlibet plerique, ut ratiociniis exquisite proportionatis ostenderent mechanicas totius naturæ mundanæ veritates. Hoc modo in parte generali Physicæ detecta sunt principia corporum verosimillima: Materia perpetuis particularum coalescentium ac diffluentium lusibus exposita;

Mo-

Motus plastes per omnia diffusus nunquam in materia otiosus; Modificationes demum variae, a motu in materiam pro habitudine ipsius particularum introductæ, quas formas rerum scholæ stylo perhiberem. Quanta vero instrumentorum copia motuum demonstrationibus inserviat, quam fere infinitis experimentis materiæ variantes modificationes possint oculis exhiberi, rerum intelligentes norunt, chartæ hujus angustia minime capit. Hoc ipso etiam modo singulæ Physicæ specialis partes ornatiores prodierunt totque veritatibus locupletatæ. Sic in doctrina de Elementis patuit flammæ compages, colorum in ipsis productio, nec minus earundem, quomodo Robertus Boyle vocare maluit, ponderabilitas & stabilitas. Aquarum resectæ particulæ; maris distinctior redditus intellectui fluxus & refluxus; inventa marinarum aquarum dulcoratio; confectæ & adhibitæ naves subaqueæ, campanæ urinariæ, vestes aquaticæ, candelæ submarinæ, siphones & cochleæ pro exantlandis aquis, navigia cuprea, item ex corio, etiam ex linteo parata, machinæ quibus profundum aquarum exploratur, &c. Quantum ad aerem, novorum circa ipsum invento-

rum solus catalogus aliquot expleret paginas. Sufficiat nominasse antlias pnevmaticas, & quicquid ad eas pertinet; differentias Thermometrorum, Barometrorum, & Hygrometrorum; Tentamina Aëronautica artisque volandi; currus velivolos, tubulos stentoreos, acustica infundibula, multiplicationem repercussionis soni quam Echo appellant, atque hujus generis longe plura. Meteororum scientia ut planior effecta fuerit, vel ex Renati des-Cartes libro de Meteoris in propatulo est. Meteororum igneorum purorum habitudinem inventum Phosphori, flatulentorum aurum fulminans luculenter illustrat. Ventorum vim & robur bombardæ pnevmaticæ; glaciæ genesin ars naturæ æmula vel media æstate; parheliorum ortum annuli vitrei, iridum vitra prismatica & artificiales irides edocent. Quantis curiositatum thesauris doctrina de metallis, lapidibus, concretis succis, terrisque mineralibus felici ratiocinii & experientiæ connubio locupletata hæctenus fuerit, haud licet deducere, siquidem Chemiæ florentem hodie statum paucis adeo lineis saltim adumbrare nemo valeat. In Phytologiæ Physiçæ cultura quousque res perducta sit, ex Marcelli Malpighii & Nehemiæ
Gre-

Grewii plantarum anatomia, nec minus ex Societatis regiae Anglicanae actis non difficulter colligitur. Corporis animalium, hominis praesertim structura experimentis anatomicis, quibus multus instrumentorum apparatus summopere conducit, elegantissime innotuit. Praesertim subtiliorum partium fabrica, qualis vel maxime in corporibus insectorum occurrit, ope microscopiorum est detecta, palmam aliis fere omnibus auferente Antonio Lewenhoeckio. Quemadmodum vero microscopia minutissimas objectorum praesentium moleculas nudo haud obvias oculo distincte conspiciendas praebent; ita Telescopia, quae & tubos opticos vocitant, objecta longissime distita, velut ex propinquo intuentia sistunt. His quantum debeant Astrophili & quotquot coeli naturam indagare annuntur, vel me non monente manifestum existimo. Haec Galaxiam e numero meteororum fecerunt exemptam. Haec prodiderunt stellas nebulosas & informes. Haec manifestarunt, Venerem perinde ut Lunam crescere ac decrescere, ansas habere Saturnum, Jovem stipari satellitibus, gibbosum spectari Martem, Mercurium interdum pertransire

Solem, ipsum isthoc coeli totius jubar suis quandoquidem obsideri vel maculis vel faculis, Cometas Saturni sphaera esse adhuc superiores, fixas certo numero haudquaquam posse comprehendi, ut de usu telescopiorum in observandis eclipsibus, aut de Camerae obscurae spectris aliisque momentis jucundissimis taceam. Enimvero quid opus, ut in re adeo manifesta esse velim operosior? Nemo profecto qui æquo animo aestimare veritates volet, ire inficias ausit, allata modo specimina firmiter roborare assertum: Ratiocinium & Experimentiam duo fulcra esse palatii Physicæ, atque inde conjungenda semper, si velis nobilissimam eam Philosophiæ partem vel ex genuinis fundamentis docendo demonstrare, vel accuratius & cum fructu aliquo addiscere. Mihi certe rem adeo persuasam habeo, ut apud animum meum profus constituerim, in posterum non aliam in publicis meis lectionibus, DEI auxilio, servare methodum, quam qualem hac vice tantopere collaudavi, Ratiocinia scilicet atque Experimenta opera parallela conjuncturus. Injungit mihi, quo me ita geram, ipse summus nutus & rara in tanta Majestate circa res naturales perspicentia *SERENISSI-*

SI-

**SIMI AC POTENTISSIMI PRIN-
CIPIS ET DOMINI, DOMINI
FRIDERICI AUGUSTI,**

*Regis Poloniarum, Magni Ducis Lithuania,
Russia, Prussia, Mazovia, Samogitia, Kyovia,
Vollhynia, Podolia, Podlachia, Livonia, Smo-
lenskia, Severia, Zchernicovia; Ducis Saxonie,
Julie, Clivia, Montium, Angria & Westphalia,
Sacri Romani Imperii Archimareschalli & Ele-
ctoris, Landgravi Thuringia, Marchionis Mi-
snia, Superioris inferiorisque Lusatia, Burggra-
vi Magdeburgi, Comitis Principalis Henneber-
gici, Comitis Marca, Ravensbergi & Barbia,
Dynastæ in Ravensstein &c. REGIS AC DO-
MINI MEI INDULGENTISSIMI.*

Nam in literis benignissimis, quibus Sacra sua Regia Majestas Professionem Physicæ Ordinarium mihi clementissime demandavit, publica doctrina summe Reverendi D. N. D. JOH. CYPRIANI, nunc Professoris Theologiæ, hactenus ornatam, non displicuisse visa Majestati Suæ aliquoties mea, servi humillimi, ex Physica experimentalis conamina disertis verbis legitur. Sed de illo meo instituto prolixius disse- retur in oratione inaugurali, quam ad futurum diem

diem Veneris, hic XXVI. Septembris erit, *de sororio Philosophiæ Naturalis atque Medicæ Artis nexu* in Auditorio Philosophico, mane post peracta in templo Nicolaitano sacra publicæ habiturus sum. Auspicatissima vero iudicabo illa Professionis meæ auspicia, si **RECTOR ACADEMIÆ MAGNIFICUS, PROCERES UTRIUQUE REIPUBLICÆ**, frequentissima quoque Generosissimorum ac Nobilissimorum Studiosorum corona, honorifica sua præsentia, quemadmodum precor atque spero, faventes mihi adesse haud dedignabuntur. Pro quo summo in me collato beneficio ipsis me debitorem fore obstrictissimum & quacunque oblata occasione gratissimum sincera mentis confessione polliceor.

P.P. Dominica XIV. post Trinitatis anno
salutis M DCC X.



99 A 6989


ULB Halle 3
002 824 795



5b,

Retra ✓





STIANI LEHMANNI,
D. DOCTORIS, PHYSICÆ P.P.
II ET MEDICINÆ EXTRAORD.

RATIO

DE
PHILOSOPHIÆ
ALIS ET MEDICÆ

ARTIS NEXU,
AUSPICIIS

ACADEMIAE
PUBBLICAE PANEGYRI

SEPTEMBR. ANNI M DCC X.

HABITA.

ADJECTUM EJUSDEM
PROGRAMMA INVITATORIUM

ACADEMIAE
S NATURALIS PHILOSOPHIÆ
ALIS

ACADEMIAE
NIO ET EXPERIENTIA

LIPSIÆ,
HEREDES LANCKISIANOS,
M DCC XI.



Farbkarte #13

B.I.G.

